

356 (Q. 362) De Anniversariis stricte sumptis

siis, pro uno eodemque defuncto, fundetur Anniversarium ; et non raro ita fit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 550.)

Quod si in una Ecclesia, uno eodemque hujusmodi die, diversa pro diversis defunctis occurrent celebranda Anniversaria, tot poterunt in hac Ecclesia celebrari Missæ de *Requiem*, quot diversa occurrunt Anniversaria exoneranda, servatis pro unoquoque Anniversario de jure servandis.

2º In aliis diebus quibus Anniversaria permittuntur, quum in iisdem etiam liceat Missas de *Requiem* quotidianas plures, sive solemnes, sive cantatas, sive privatas celebrare, patet, quod plures pro uno eodemque Anniversario celebrari poterunt Missæ de *Requiem*; et si lectæ celebrantur, dicentur sicuti solemnes et cantatae, cum unica Oratione de Anniversario.

Q. 362. Quænam ex quatuor Missis de Requiem dicitur in Anniversario stricte sumpto?

R. 1º Si Anniversarium celebratur Papæ, Cardinalis, aut Episcopi, debet pro ipsis, — et si est Sacerdotis, potest pro ipso — sumi Missa prima ex quatuor quæ in Missali describuntur, nempe Missa inscripta : *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum* (cfr. Q. 313), cum unica Oratione, quæ ipsorum dignitati conveniat (cfr. QQ. 321, B, 1 ad 4, et 325, 3º).

2º Pro reliquis fidelibus defunctis, in eorum Anniversario stricte sumpto dicitur Missa de *Requiem*, quæ tertio loco assignatur in Missali, et quæ inscribitur : *In Anniversario Defunctorum* (cfr. Q. 313); cum unica Oratione hujus Missæ : *Deus, indulgentiarum Domine : etc.* (cfr. Q. 321, A, 4).

NOTA. 1. Hæc Oratio : *Deus indulgentiarum Domine : etc.*, quam dices verificari solummodo recurrente ipso die Obitus vel Depositionis defuncti, dicitur tamen in Anniversariis, quæ fundata sunt extra diem vere anniversarium ab obitu, vel depositione ; iste dies, certo determinatus in instrumento foundationis, censetur in casu annuus dies pro defuncto, ut fiat solemnis ejus tamquam proprii depositionis diei commemoratione.

Dicta patent ex sequenti S. Rituum Congregationis

De Anniversariis late sumptis (Q. 363) 357

Decreto : Ad dubium : « In Anniversariis stricte sumptis laicorum, quæ fundata sunt extra diem vere anniversarium ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio : *Deus, indulgentiarum Domine ?* » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 353.)

NOTA. 2. Si Anniversarium, sive fundatum in die Obitus vel Depositionis, vel in alio determinato die, sive privatum ad petitionem viventium in vero die Obitus vel Depositionis, est liturgice impeditum (cfr. Q. 356), et anticipatur, vel transfertur in primum diem liberum (cfr. QQ. 358, 359), dicitur Missa ut supra, et nulla omnino mutatio facienda est pro Oratione. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1698, n. 2002. ad 11, antiq. 3477, ad 16.)

Si Anniversarium hujusmodi stricte sumptum anticipatur alio die quam primo libero, aut differtur ad diem ulteriorem quam primum liberum, non amplius pro Missa exstant privilegia Anniversarii (cfr. Q. 358), et celebrari debet Missa uti Missa quotidiana defunctorum : potest sumi Missa tertia, vel quarta ; sed quæcumque sumatur, in ea, etiamsi cum solemnitate extrinseca aut in cantu celebraretur, dicendæ sunt tres Orationes, ut in Missa quotidiana Defunctorum (cfr. QQ. 324, 5º, et 325, 5º) ; et Oratio propria Missæ Anniversarii non potest dici.

§ 2. De Anniversariis late sumptis

Q. 363. Quid sunt Anniversaria late sumpta?

R. Anniversaria late sumpta vocantur illæ Missæ de *Requiem*, quæ celebrari solent a Religiosis communib[us], a Canonicorum Collegiis, a confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis, semel in anno, die fixo vel mobili ad libitum, etiamsi iste non sit anniversarius ab obitu.

Anniversariis late sumptis admunerantur etiam et æquiparantur illæ Missæ de *Requiem*, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Commemorationis *Omnium Fidelium Defunctorum* locum habent. (Cfr. Q. 329.)

358 (Q. 364, 365) **De Anniversariis late sumptis**

Hujusmodi Anniversaria late sumpta permittuntur de speciali gratia, uti declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum Generale, 2 Decembris 1891 (n. 3753, ad V; cfr. Q. 354, Nota). Ipsa aliquantum participant de privilegiis Anniversariorum stricte dictorum, ut ex sequentibus Quæstionibus patebit.

NOTA. Data definitio etiam jure applicari potest Missis de *Requiem*, quæ, optante Archiepiscopo nostro (cfr. Litteræ Emi Dñi Engelberti, Card. Sterckx, Archiep. Mechlinien., 7 Octobris 1874, quotannis in fine Directorii insertæ), in multis Ecclesiis Diocesenos, singulis annis cantantur, sumptibus fabricæ, pro benefactoribus Ecclesiarum; necnon illis, quæ, ex consuetudine, in multis Ecclesiis, quotannis pro defunctis clericis, et benefactoribus, vel parochianis cantantur. (Cfr. Collationes Brugenses, III, 1898, pag. 592.)

Q. 364. *Quibus diebus prohibentur Anniversaria late sumpta?*

R. I. Anniversaria late sumpta prohibentur omnibus et iisdem diebus, quibus prohibentur Anniversaria stricte sumpta (cfr. Q. 356); et insuper in Festis duplicitibus majoribus.

Permittuntur ergo Missæ de *Requiem*, pro Anniversariis late sumptis, in omnibus Festis duplicitibus minoribus, excepto Festo S. Silvestri, 31 Decembris, ut dictum fuit Q. 356.

II. Quoad illa Anniversaria late sumpta, quæ profideliumpietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habere possunt, notandum est quod adeo præcise adstricta sunt ad dictam Octavam, ut aliis temporibus quibuscumque extra hanc Octavam non permittantur. (Decret. S. Rituum Congregationis 28 Aprilis 1902, ad 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ XVI, 1902, pag. 354.)

Q. 365. *An Anniversaria late sumpta gaudent, in casu impedimenti liturgici, privilegio anticipationis, vel translationis in primum diem liberum?*

R. Cum pro Anniversariis late sumptis quotannis libere eligi possit dies in quo celebrentur, ratio in tali

De Anniversariis late sumptis (Q. 366, 367) 359

casu non videtur existere, ut ipsis tribuatur aut applicetur privilegium anticipationis, vel translationis in primum diem liberum.

Attamen, si forsitan alicubi pro singulis annis determinatus haberetur dies in quo celebraretur Anniversarium late sumptum, tunc in casu impedimenti liturgici accidentalis, ex. gr., si dies determinatus occurret aliquo anno in Dominicam, privilegium anticipationis, vel translationis in primum diem liberum, quod tribuitur Anniversario stricte sumpto (cfr. Q. 358), non perperam posse applicari Anniversario late sumpto videtur.

Q. 366. *Quid notandum est de solemnitate Missæ in Anniversariis late sumptis?*

R. Ut Missa de *Requiem* pro Anniversariis late sumptis licite valeat celebrari in Festis duplicitibus minoribus, debet omnino celebrari cum solemnitate extrinseca, aut in cantu. Missa lecta nullis gaudet privilegiis, et tantum permittitur iis diebus, quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem*.

Q. 367. *Quænam ex quatuor Missis de Requiem dicitur in Anniversariis late sumptis? Quid dicendum est de Oratione?*

R. Pro Anniversariis late sumptis potest sumi Missa de *Requiem* tertia, quæ inscribitur: *In Anniversario Defunctorum*.

Pro Oratione notandum est:

1º Quia hujusmodi Missa, ex Decreto S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896 (cfr. Q. 323, I), talis est quæ intrinsece etiam solemnis habetur pro defunctis (cfr. Q. 324, 3º), nempe celebrata sub ritu qui duplice respondet, ita ut si Officium Defunctorum recitaretur occasione hujus Missæ, id fieret sub ritu duplice, cum duplicatione Antiphonarum Officii, etc., ideo una tantum Oratio dicenda est in Missa de *Requiem* pro Anniversariis late sumptis celebrata (cfr. Q. 324, 3º).

2º Oratio pro Anniversariis late sumptis non potest sumi ea quæ in tertia Missa describitur pro ipso die Anniversarii stricte dicti; non congruit enim, nec ve-

rificatur hæc Oratio in Anniversariis late sumptis ; sed sumitur una ex Orationibus diversis pro pluribus defunctis ; scilicet : vel Oratio pro defunctis Episcopis et Sacerdotibus, si pro ipsis Anniversarium celebratur (cfr. Q. 321, B, 2) ; vel Oratio pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus (cfr. ibid. n. 9), vel una alterave ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (cfr. ibid. nn. 11, 12), vel Oratio pro omnibus Fidelibus defunctis (cfr. ibid. A, 1). — Infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum vero, si pro uno defuncto celebratur Anniversarium late sumptum, dicitur Oratio conveniens pro defuncti dignitate vel qualitate (cfr. ibid. nn. 1 ad 8).

§ 3. De Missis quæ aliquando Anniversaria vocantur, sed talia non sunt

Q. 368. *Indica quædam Anniversia, vulgo ita nomina, quæ nullum privilegium habent. Quid pro his faciendum est ?*

R. I. Non raro fit, quod pro defunctis Missæ fundantur, vel petuntur, sub nomine Anniversarii, quæ dotes et qualitates Anniversarii, tum stricte, tam late dicti non habent.

Talia sunt Anniversaria fundata non pro die obitus neque pro alio certo et determinato die, sed celebranda in tali aut tali mense, circa tale aut tale Festum ; etiam fundata sine aliqua præfixione dierum, et prorsus indeterminata quoad diem celebrationis.

Talia sunt etiam Anniversaria non fundata, petita a consanguineis, aut amicis, non recurrente die obitus, vel depositionis, sed circa redeuntem obitus diem, determinatum juxta petentium commoditatem.

Tales fundationes, tales Missæ carent notis Anniversarii, tum stricte, tum late dicti ; et non possunt vocari Anniversaria, neque stricte neque late.

II. Rubricæ et Decreta quæ Anniversariis privilegia concedunt, hujusmodi Missis, vel fundatis vel petitis, non favent ; de iis enim lex omnino silet ; ipsæ assimilantur ergo Missis de *Requiem* quotidianis, quarum normas debent sequi.

Consequenter sine Indulto celebrari nequeunt, nisi iis diebus quibus Missæ privatæ, seu quotidianæ de *Requiem* permittuntur. Ita S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Missæ cantatæ de *Requiem*, a defunctis relictæ sine præfixione dierum, debent celebrari diebus a Rubrica permissis. » (Decret. 23 Augusti 1766, n. 2482, antiq. 4336, ad 1.)

Missæ de *Requiem* tertia, pro Anniversariis inscripta, potest quidem sumi ; Orationes vero in his Missis requiruntur tres, ut in Missis de *Requiem* quotidianis ; et non potest primo loco dici Oratio ex tertia Missa pro Anniversario ; hæc enim in casu non congruit ; sed debet pro prima Oratione sumi Oratio, vel pro defuncto, vel pro defuncta, vel pro defunctis, quæ magis convenit, sicuti pro Missis quotidianis præscribitur quando celebrantur pro defunctis determinatis. (Cfr. Q. 325, 5°.)

ARTICULUS VI

DE MISSIS DEFUNCTORUM QUOTIDIANIS

Q. 369. *Quænam Missæ de Requiem vocantur « quotidianæ Defunctorum » ? Quis est earum ritus ?*

R. I. Missæ **quotidianæ Defunctorum** vocantur illæ Missæ de *Requiem* quæ celebrantur, sive cum solemnitate extrinseca, sive in cantu, sive privatim, extra dies solemnies seu privilegiatos Defunctorum ; scilicet extra diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, diem Obitus seu Depositionis, diem tertium, septimum et trigesimum, diem Anniversarii, vel stricte vel late sumpti, et diem quo celebratur Missa post acceptum nuntium de alicujus obitu. (Cfr. Q. 312.)

Aliquando in Rubricis et in Decretis, ac apud auctores, istæ Missæ vocantur etiam Missæ de *Requiem* **privatae** ; intellige, respectu earum quæ in diebus solemnibus seu privilegiatis celebrantur ; non autem quasi privatim absque solemnitate extrinseca aut cantu forent celebrandæ ; nam, ut dictum fuit, solemniter et in cantu celebrari possunt, etiamsi sensu exposito privatae sint ; quemadmodum illæ quæ in diebus Defuncto-